

248 COMMENTARIUS IN JEREMIAE
 constituuntur, quorum 1. Direptio. 2. Devastatio. In Exornatio-
 ne propositionis tria continentur: (1) Est ἀποστροφὴ ἐιρωνική ad Keda-
 renos, ut fugiant & in latebras se abscondant. (2) ἀποστροφὴ ad Chal-
 daeos, ut luxus & securitatis poenas ab illis sumant. (3) Repetitio Pro-
 positionis, quâ denuò illis denunciantur 1. Direptio. 2. Dissipa-
 tio. 3. Devastatio seculi i.e. duratura ultra hominum memoriam,
 quæ est tertia vocabuli *Olam* sive seculi significatio: *Trifariam* enim
 accipi consuevit vox ista: (1) enim significat quod non habet finem.
 (2) quod usque in hujus seculi *Psalms. 103.* tenditur finem. (3) quod
 nlrâ memoriam hominum protrahit finem, *Aug. l. 16. de C.D. c. 26.*
& 31. quæst. super Gen.

Explicatio 5. Partis.

De Elamitis vel Persis.

Ab *Elam* orti sunt, filio *Semi Gen. 10, 22.* Illorum regio à *Rege*
Persio dicta est *Persia*, sita est *Palæstinae* respectu *Orientem* versus.
Metropolis Persiæ olim fuit *Susan*, ubi celebris *Academia.* *Concio*
de Elamitis constat *Inscriptione & Prophetia.* In *inscriptione* notantur
Prophetiæ tempus, quod in principium regni *Zedekie* incidisse dici-
 tur. *Prophetiæ* complectitur *comminationem legalem & promissionem*
Evangelicam. In *Comminatione* denunciatur *Elamitis fractio arcus* i.e.
translatio Monarchiæ, auspiciis *Alexandri M.* cum quâ conjuncta 1.
Dissipatio Persarum per omnes mundi plagas. 2. *Pavor.* 3. *Omnis*
generis mala. 4. *Maximè gladius* i.e. *Cædes* per *Metonymiam causæ.*
5. Monarchiæ, Darii videlicet *Codomanui & Satraparum* ejus trucidatio.
6. Solii i.e. *Monarchiæ* per *Metonymiam adjuncti pro subiecto*, *Alexandri*
M. constitutio. Appellat Dominus solium illud suum solium; I-
 pse enim transfert regnum *Dan. 2.* & non *Pontifex Romanus*, quem-
 admodum quidem mentitur in *Jure suo Canon. in Tit. de Major. in c.*
sollicitè. In *promissione* sponderur *Persis* vocatio ad regnum *Christi*,
 cujus *primitiæ* fuerunt *Magi Matth. 2.* qui & ob id à *Chrysoptom. Patri-*
archæ gentium appellantur.

Ἀξιολογηθέντα.

1. Ἐξ ἑξινά.

1. *Malchom*, *Idolum Ammonitarum*, 2. *Nomina urbium diver-*
sarum

7. 38.